

Dum hæc administrarentur , cum Joanne Francisco Gambara homine inter civitatis Brixianæ principes claro , qui anno superiore turmæ equitum reipublicæ præfectus ob simultatem , quam cum uno ex Lauredanis civibus Venetis graviter ab eo offensus exercebat , in clade exercitus ad Gallos hostes sua cum turma transierat , atque ab rege stipendio accepto in ejus exercitu postea contra rempublicam semper fuerat ; Cardinalis Papiensis per suos internuncios clam ad eum missos egit , ut dare operam vellet efficereque , sua ut civitas ad rempublicam rediret . Ille autem , cui quidem Gallorum imperii valde jam pertæsum esset , ita se rem facturum est pollicitus , si respublika eum sibi apud se gratiæ locum , quem habebat ante cladem , restituat . Ea de re Cardinalis Iulium certiorem facit . Julius per Donatum legatum a Senatu postulat , ut suam fidem Joanni Francisco det , fore uti ipsem et constituisse , si reipublicæ Brixiam tradiderit : addiditque habere se etiam , qui sint Parmam sibi oppidum iisdem artibus tradituri : itaque sperare se se brevi Gallos Italia ejecturum . Donati literæ iis de rebus ad Senatum perlatæ , magnam in spem belli celeriter confiendi Patres exerent . itaque Senatusconsultum factum est , de Joanne Francisco Gambara ita fore , uti ipse constituisse , si Brixiam reipublicæ restituat : suam ei fidem Julius interponeret , Senatus illam omnibus numeris servaturum : magno silentio imperato , ne quid ejus sciri possit . Idem Patres Julio permitten te literas ad Franciscum Mantuanorum principem dederunt : velle se imperium reipublicæ copiarum ei tradere : mitteret ad urbem suum hominem , qui cum res transfigi possit . Triultius inter hæc Brixia Mediolanum proficisciens propter Helvetiorum in Gallici regis fines impressionem , tormenta ibi quæ erant , secum ut ferrentur imperavit . Helvetii autem cum ad Abdus fluminis e lacu Lario extum Galli eis occurrisserent , binis eos cladibus affecabant .